

276 (Q. 295) De Missa de Sacro Corde Jesu.

rio; tamen sunt Festa Domini, quæ generatim Indultum indicat.

Officium Votivum de Passione Domini, quod persolvi potest, juxta Apostolicum Indultum generale 5 Julii 1883, Feriis sextis liberis, non impedit hanc Missam, cum non sit proprie dictum Festum.

3º Feriæ privilegiatæ; unica tantum assignari potest, si tamen Feriam nominare placet Feriam VI in Parrocchie, quæ ex alio titulo impedit, utpote inter Festa duplia in classis relata.

4º Vigiliæ privilegiatæ; unica tantum occurrere potest, nempe Vigilia Epiphaniæ.

Ad dubium: « Utrum Missa Votiva de Sacro Corde Jesu.... dici possit Feria VI, quæ prima in Januario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniæ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Negative. » (Decret. 29 Novembris 1901, ad 1; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 698.)

5º Octavæ privilegiatæ; animadvertiscendi veniunt tamquam impedientes Octavæ privilegiatæ quatuor, nempe, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et SS. Corporis Christi.

6º His diebus, Missam de Sacro Corde Jesu prohibentibus, addenda est dies 2 Novembris, in qua fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, et in qua, juxta Rubricam particularem hujus diei, omnes Missæ dicuntur de *Requiem*, excepta una Missa Conventuali in Ecclesiis Cathedralibus, quæ dicitur post Tertiam, de Octava Omnis Sanctorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Maii 1895, n. 3855, ad 2.)

NOTA. Ad dubium: « Utrum præfata Missa Votiva celebrari possit diebus festis de præcepto in Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui applicare tenetur pro populo? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Negative. » (Decret. 27 Martii 1902, ad 2; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 291.)

Q. 295. Quænam conditio apponitur in Indulto, ut Missa Votiva de Sacro Corde Jesu possit celebrari tamquam Votiva privilegiata?

R. Exercitia peculiaria in honorem divini Cordis

De Missa Dedicationis Ecclesiæ (Q. 296) 277

mane in Ecclesia, vel Oratorio peragenda sunt, scilicet ante Missam, vel ejus tempore, vel post Missam; Missa debet esse his exercitiis conjuncta, et unum cum his moraliter actum constituere. Unde non comprobarentur Indulti verba, si Missa summo mane fieret, tempore antemeridiano autem exercitia pia; multo minus, imo nullimode, si exercitia post meridiem peragerentur, ex.gr., laudes vespertinæ; in his casibus non liceret Missam Votivam celebrare.

Exercitia quæcumque ea esse possunt, dummodo pro objecto habeant honorem SS. Cordis Jesu. Sed notanda veniunt verba Indulti, quibus requiritur ut hæc exercitia peragantur **Approbante loci Ordinario**.

Mens S. Rituum Congregationis, hæc verba consulto addentis, forsitan est, consilio prudentiaque prævertere quæcumque singularis devotionis exercitia, quæ a privatis possent aliquando institui, minus Sacræ Liturgiæ regulis comprobata.

In Archidiœcesi Mechlinensi, ad petitionem plurimum rectorum Ecclesiarum, Ordinarius proposuit aut approbavit sequens exercitium:

Post Missam, sive solemnem, sive cantatam, sive privatam, exponitur SS. Sacramentum; deinde Sacerdos legit precem Reparationis, vulgo dictam *Akt van eerboet, Amende honorable*, ab Ordinario, aut ab alio Episcopo approbatam; recitari quoque possunt Litanie de Sacro Corde Jesu, approbatæ Decreto S. Rituum Congregationis, 27 Junii 1898, ex quo hæc facultas extensa fuit ad totum orbem, per Indultum 2 Aprilis 1899, quo facto, cantatur *Tantum ergo et Genitori*, cum Oratione SS. Sacramenti, et servatis consuetis ritibus ac cæremoniis datur Benedictio cum SS. Sacramento.

Hujusmodi exercitium certo sufficiens est, ut valeat Missa Votiva de SS. Corde Jesu, diebus liberis, celebrari.

VIII. De Missa quæ celebratur in ipso die Consecrationis, seu Dedicationis Ecclesiæ, aut Altaris

Q. 296. Quid notandum est de Officio divino, quod a clero Ecclesiæ consecrandæ recitari debet in ipso die Consecra-

278 (Q. 296) De Missa Dedicationis Ecclesiæ
tionis? Quæ Missa celebrari debet in ipsa Ecclesia, peracta
consecratione?

R. Prænotatur: 1º quod ex majoribus Ecclesiæ festi-
vitatis una est novi templi Dedicatio, quæ solemniori
cum apparatu celebratur, quæ reputatur inter Festa
primaria, et declarata fuit esse Festum Domini.

2º « Incumbere debent Episcopi ut Ecclesiæ saltem
Cathedrales et Parochiales solemniter consecrentur.
Quoad minores Ecclesiæ, si nolint uti jure suo illas
solemniter consecrandi, facultatem tribuant Sacerdoti-
bus eas benedicendi. » (Decret. S. Rituum Congrega-
tionis, 7 Augusti 1875, n. 3364, antiq. 5621, ad 1.)

3º Quamvis de jure omni die Ecclesiæ Dedicatio fieri
possit, decentius tamen, ait Pontificale Romanum, in
Dominicis diebus vel Sanctorum solemnitatibus fit.

4º Cum quotannis jam in nostra Dioecesi nonnullæ
Ecclesiæ consecrentur, juvat pauca adnotare de iis quæ
in hac functione observari debent, tum pro Officio di-
vino recitando, tum pro Missa celebranda.

I. In ipso Dedicationis cujusdam Ecclesiæ die, Offi-
cium a clero hujus Ecclesiæ, a primis Vesperis usque
ad Primam inclusive, dicitur de Tempore, vel de Festo,
prout præscriptum habetur in Calendario seu Direc-
torio; sed, peracta Consecratione, cessat omnino istud
Officium, et ibi incipit festus dies Dedicationis, qui
ritum habet duplicis 1 classis cum Octava, et cuius
Officium inchoatur, et a clero hujus Ecclesiæ dicitur,
inde ab Hora minori Tertia. (Decret. 7 Septembris
1844, n. 2868, antiq. 4979.)

EXEMPLUM: Supponitur Ecclesiam ab Episcopo consecrari,
die 28 Septembris, Feria II, in Festo semiduplici S. Wenceslai,
Ducis et Martyris, et functionem inchoari hora 8^{va}.

Clerus Ecclesiæ consecrandæ adscriptus dicet, pro Officio
diei 28 Septembris, Commemorationem S. Wenceslai in secun-
dis Vesperis Dominicæ, dein Matutinum cum Laudibus, et Pri-
mam de Festo S. Wenceslai, ritu semiduplici, nihil addito aut
mutato. Sed inde a Tertia, relicto totaliter Officio S. Wenceslai
inchoatur Officium Dedicationis Ecclesiæ, ritu dupli 1 classis
cum Octava. Proinde clerus istius Ecclesiæ dicet Tertiam, et
sequentes Horas, non de Officio S. Wenceslai, quod omnino
negligitur, sed de Communi Dedicationis Ecclesiæ, cum Ora-
tione descripta pro ipsa die Consecrationis.

De Missa Dedicationis Ecclesiæ (Q. 297) 279

Quæ insuper a clero eodem observanda sunt pro ce-
lebratione Vigiliarum ante sacras Reliquias, per Matu-
tinum et Laudes de Communi plurimorum Martyrum,
vide descripta in Tractatu de Celebratione SS. Missæ
Sacrificii, Q. 31, II.

II. Peracta autem Consecratione, Missa solemnis
debet in Ecclesia consecrata celebrari, vel per Episco-
pum, vel per Sacerdotem, conformis Officio Dedicationis,
sicuti in Missali describitur pro Anniversario De-
dicationis, cum Oratione propria pro ipso die Consecra-
tionis. Missæ privatæ, si tunc quæ celebrentur præter
solemnem, item sunt dicendæ de Dedicatione.

Q. 297. Quomodo ordinari debet Missa, quæ in Ecclesia
consecrata, peracto Consecrationis ritu, celebratur?

R. Missa hæc, solemniter celebranda, cum sit con-
formis Officio Dedicationis, quod inde a Tertia pro-
prium hujus diei Officium est, stricte loquendo non
potest dici Votiva, sed est festiva. Sumitur Missa:
Terribilis est locus iste, etc., ut in Commune Dedicationis
pro Anniversario, in quarta Missalis parte (cfr. Q. 36).

Dicitur *Gloria in excelsis*.

Oratio unica in ea dicitur, nempe: *Deus, qui invis-
ibiliter etc.*, quæ in Missali describitur, pro ipso die De-
dicationis, post Missam indicatam. Attamen in hac
Missa fieri debent, si occurant, Commemorations
quæ in quocumque Festo duplici 1 classis locum ha-
bent; omissa tamen Commemoratione Officii occurren-
tis quod post Primam neglectum fuit; etenim ad du-
biū: « In hac Missa, sive agatur de Consecratione
Ecclesiæ, sive de Consecratione Altaris, debent ne
fieri illæ Commemorations, quæ ne in Duplicibus qui-
dem 1 classis omittendæ, uti de Dominica, de Feria
privilegiata (intellige majori), etc. ? » S. Rituum Con-
gregatio rescribere rata est: « Negative, si agatur de
Consecratione Altaris; Affirmative, si agatur de Con-
secratione Ecclesiæ. » (Decret. 23 Februarii 1884, n. 3605,
antiq. 5907, Dub. III, ad 1.)

Dicitur *Credo*.

Præfatio dicitur, juxta regulas communes, vel de
Octava, si aliqua Octava tunc celebratur; vel de Tem-

pore, si Tempus anni currens propriam habet; vel alias de SS. Trinitate, aut communis, prout Consecratio fuerit facta in Dominica, aut infra hebdomadam. Non autem dicitur *Præfatio Festi* post Primam omissi, nisi istud celebretur cum Octava.

In fine dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio,* nisi facta fuerit Commemoratio Dominicæ, aut Feriæ quæ proprium Evangelium habet.

Q. 298. Quinam sunt dies per annum, in quibus prohibetur celebratio festivitatis Dedicationis?

R. Etsi de jure omni die fieri possit Dedicatio aliquis Ecclesiæ, dantur tamen per annum Festivitates solemniores, vel etiam dies non festivi, in quibus, propter summa mysteria commemoranda, Solemnitas Dedicationis prohibetur perfecte et in omnibus suis partibus celebrari. Etenim:

A) Sunt dies in quibus peragi quidem de jure poterit ritus Consecrationis Ecclesiæ, sed neque Officium poterit dici de Dedicatione, neque Missa poterit de Dedicatione celebrari; scilicet:

Dominicæ I Adventus, I Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, et SS. Trinitatis.

Festa Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis cum duobus sequentibus diebus, Ascensionis Domini, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, et SS. Corporis Christi.

Feria IV Cinerum, et omnes totius Hebdomadæ Sanctæ.

Casu quo Dedicatio Ecclesiæ fiat in uno ex his diebus, non poterit Officium de Dedicatione dici inde a Tertia, sed continuabitur Officium proprium diei, et transferetur Officium de Dedicatione ad primum diem liberum, cum Octava incompleta, vel etiam sine Octava, prout primus dies liber occurrit infra, vel post Octavam factæ Dedicationis; neque poterit post ritum Consecrationis Missa solemnis celebrari de Dedicatione, sed celebrabitur de die occurrente; Orationi principali seu propriæ hujus Missæ adjungetur Commemoratio diei Dedicationis, sub unica conclusione. (Decret. 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, Dub. III, ad 3.)

B) Sunt dies in quibus, peracta Ecclesiæ Consecratio, poterit quidem celebrari Missa solemnis de Dedicatione, non autem poterit inde a Tertia dici Officium de Dedicatione; scilicet:

Festa SS. Cordis Jesu, Circumcisionis Domini, Assumptionis B. M. V., Immaculatæ Conceptionis B. M. V., Annuntiationis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum.

Octavæ Epiphaniæ, Paschatis a Feria IV ad Sabbathum, et Pentecostes a Feria IV ad Sabbathum.

Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes.

In his diebus si fiat Ecclesiæ Consecratio, Officium inde a Tertia non poterit dici de Dedicatione, sed continuabitur Officium proprium diei, et transferetur Officium de Dedicatione, ut supra dictum fuit.

Missa autem una solemnis poterit de Dedicatione celebrari, quæ in Ecclesiis parochialibus et ruralibus, iisque ubi nulla viget Chori obligatio, sequenti modo ordinabitur:

Dicitur Hymnus *Gloria in excelsis.*

Oratio dicitur de die Dedicationis, sed ei adjungitur, sub unica conclusione, Oratio Officii aut Festi occurrentis.

Dicitur *Credo.*

Præfatio, si Officium aut Festum occurrens propriam habeat, de hoc dicitur; alias dicitur de Octava, aut de Tempore, aut SS. Trinitatis, aut communis, ut supra Q. 297 dictum fuit.

Ultimum Evangelium dicitur S. Joannis: *In principio.*

Si autem Ecclesia consecrata ex iis est, ubi viget Chori obligatio, quales sunt Cathedrales, Collegiatæ, aut illæ Regularium Ecclesiæ in quibus quotidie Missa conventionalis celebratur, duæ jam deberent in casu Missæ celebrari; sed hæc indicare nobis sufficiat.

(Cfr. Ephemerides liturgicæ, I, 1887, pag. 542 et sqq.)

NOTA. I. Ex præcedentibus juvat animadvertere, quoad dies seligendos pro Consecratione Ecclesiarum:

1º Quosdam per annum dies tali honore vel mysterio decorari, ut in ipsis certe non deceat christianam plebem ritu Dedi-

282 (Q. 299) De Missa in Benedictione Ecclesiæ
tionis distrahere ; tales sunt Nativitas Domini, Feria IV Cine-
rum, Dominicæ Palmarum, Triduum sacrum, Pascha.

2º Quia omnino decet ut, paracta Ecclesiæ Consecratione,
ejus Dedicationis Missa propria celebretur, non esse seligendos
dies a Rubricis exceptos, in quibus Missa hæc de Dedicatione
non posset celebrari.

3º Non esse seligendos quidem hos dies, in quibus Missa de
Dedicatione posset celebrari, non vero Officium proprium de
Dedicatione posset dici ; quia valde congruit, ut solemnitas
Dedicationis suo proprio die celebretur, non solum cum Missa,
sed etiam cum proprio Officio, et cum Octava.

Itaque « decentius », ut dicit Pontificale, fiet Ecclesiæ Conse-
cratio « in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus » ;
sed talis seligatur dies, in quo impedimentum nullum, neque
pro Missa, neque pro Officio Dedicationis occurrat ; insuper
hodie dum Dominicis dies vix aut non esse seligendos patet.

NOTA. II. In iis Dicecessibus, quæ speciali gaudent concessione
omnium Ecclesiarum Dedicationis Anniversarium uno die cele-
brandi, simul cum aliis Ecclesiis Diceceseos celebrandum est
hocce Anniversarium in Ecclesiis recenter consecratis ; itaque
in nostra Mechlinensi Dicecesi ab omnibus, nulla excepta, Ec-
clesiis celebrandum est Anniversarium Dominica post Octavam
Omnium Sanctorum.

Q. 299. Quænam Missa celebrari debet occasione Bene-
dictionis solemnis Ecclesiæ, vel Oratorii ?

R. In Rituali Romano describitur (Tit, VIII, Cap. 27)
« Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium
publicum, ut ibi SS. Missæ Sacrificium celebrari pos-
sit » ; non enim semper, mox post ædificationem, datur
opportuna occasio Consecrationis Ecclesiæ per Epi-
scopum, et ex altera parte, quamprimum usui tradere
novam Ecclesiam ordinarie necesse est, aut multum
desideratur. (Cfr. etiam Q. 296, Prænotatur 2º.)

Hujusmodi Benedictio fieri potest omni die, et de li-
centia Episcopi, per Sacerdotem ; de ea agitur in Tra-
ctatu de Administratione Sacramentorum (Q. 342).
Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote sit bene-
dicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

« Peracta Benedictione, dicitur Missa de Tempore
occurreti, vel de Sancto. » (Rituale Romanum, loco
citato, n. 12.) Hæc verba sequenti modo intelligenda
sunt : Missa dicitur, vel solemnis, vel cantata, vel pri-
vata, eodem ritu quo Missa Votiva solemnis pro re
gravi (cfr. Q. 262), de Mysterio, vel de Sancto, in cuius

De Missa Dedicationis Altaris (Q. 300) 283

honorem Ecclesia fuit benedicta. (Decret. S. Rituum
Congregationis, 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907,
ad II.) Ast, si eo die hujusmodi Missa non potest cele-
brari, ob præstantiam Festi, aut Officii occurrentis (cfr.
Q. 259), tunc dicitur Missa de occurrenti Festo, aut
Officio (cfr. Q. 260).

Numquam autem potest dici Missa de Communi
pro Dedicatione ; hæc enim convenit solemni Ecclesiæ
Consecrationi per Episcopum factæ.

Missa occasione Benedictionis celebratur, vel ab ipso
qui Ecclesiam benedixit, vel ab alio Sacerdote.

NOTA. Benedictio et impositio primaria lapidis pro Ecclesia
ædificanda quando fit ab Episcopo, ea expleta potest Episco-
pus, juxta Pontificale Romanum, si velit, aut alias Sacerdos,
in dicto loco celebrare Missam de Sancto, in cuius nomine Ec-
clesia fundatur.

Hæc Missa, si celebratur, celebrari debet ut Votiva solemnis
pro re gravi, exclusa omni Commemoratione ; eam prohibent
tantum dies infra annum solemniores. (Decret. S. Rituum Con-
gregationis, 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, ad 1.)

Rituale Romanum nihil dicit de Missa celebranda in casu,
quando hæc functio fit a Sacerdote delegato. (Cfr. Tractatus de
administratione Sacramentorum. Q. 341.)

Q. 300. Quid notandum est de Missa celebranda occasione
Consecrationis Altaris, quæ fit sine Ecclesiæ Dedicatione ?

R. I. Quando Altare fixum (cfr. Tractatus de Cele-
bratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 11 et 32) consecra-
tur, tunc nihil mutandum venit in recitatione Officii,
quod occurrit eo die quo fit hujusmodi Consecratio :
attamen celebrandæ sunt Vigiliæ ante Sacras Reliquias
(cfr. Q. 296. I).

Peracta autem Altaris Consecratione, Missa solem-
nis debet celebrari in Altari consecrato, aut in uno ex
consecratis, si plura simul fuerunt consecrata.

Celebratur Missa de Communi Dedicationis, ut in die
Dedicationis Ecclesiæ (cfr. Q. 297) ; sed dicitur Oratio
specialis pro Consecratione Altaris, nempe : *Deus, qui
ex omni etc.*, quæ describitur in Missali post Missam de
Anniversario Dedicationis Ecclesiæ : servatis regulis
quæ traduntur QQ. 297 et 298.

II. Quando consecratur Altare portatile (cfr. Tracta-

tus de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 12), nihil mutatur in recitatione Officii eo die occurritis, sed et neque Vigiliæ sunt celebrandæ ante Sacras Reliquias.

Peracta Consecratione, celebratur Missa super tabulam consecratam, vel super unam ex tabulis consecratis, si plures fuerunt consecratae. Hæc Missa non debet cum extrinseca solemnitate celebrari, et sufficit quod legatur; attamen dicitur omnino sicuti pro Altari fixo consecrato, quemadmodum supra ad I notatur.

IX. De Missa Votiva pro Sponso et Sponsa

Q. 301. *Quænam Missa vocatur pro Sponso et Sponsa?*

R. Missa « pro Sponso et Sponsa » vocatur illa, in quinta parte Missalis inter Votivas descripta (cfr. Q. 37), cuius Introitus incipit *Deus Israel*, quæ cum formulari speciali dicitur pro iis qui Matrimonio juncti sunt, et continet solemnem Matrimonii contracti Benedictionem, per speciales Orationes, quibus Ecclesia spirituales effectus conjunxit.

Hæc solemnis Matrimonii Benedictio dari numquam potest nisi intra Missam; ejusque speciales Orationes dicuntur ad duas diversas Missæ partes, nempe: 1º dicto *Pater noster*, ante Orationem: *Libera nos, etc.*; 2º in fine, ante Orationem: *Placeat tibi, etc.*

Inter hanc Missam Votivam et Benedictionem Sponsorum talis connexio existit, ut formulare hujus Missæ non possit recitari, nisi in eadem fiat nuptiarum Benedictio; absque Benedictione numquam potest hæc Missa dici, etiam diebus quibus Missæ Votivæ privatæ permittuntur.

« Benedictio enim Nuptiarum in Missali posita, si Sponsi eam petierint, (ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa Missa pro Sponso et Sponsa abstrahi numquam potest, sed infra eam omnino debet fieri. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § VI.)

NOTA: Speciales cæremoniæ, et alia plura quæ in Missa pro Sponso et Sponsa præscribuntur in ordine ad Benedictionem nuptiarum, exponuntur in Tractatu de Administratione Sacramentorum, QQ. 309 ad 313.

Q. 302. *A quo nuptiæ benedicendæ sunt?*

R. Nuptiæ benedicendæ sunt a Parocho sponsorum; vel, ex ejusdem, sive Ordinarii licentia, ab alio Sacerdote. — Matrimonii celebratio, et nuptiarum Benedictio non ita connexæ sunt, ut ab uno eodemque Sacerdote fieri debeat; sed Matrimonium, coram Parocho celebratum, benedici potest, cum ipsis, aut Ordinarii licentia, ab alio Sacerdote qui Missam celebrat; attamen omnino requiritur, ut ille Sacerdos qui Missam celebrat etiam Benedictionem impertiatur; et non potest unus Missam celebrare et alter Benedictionem Matrimonii dare.

Q. 303. *Quid statuitur de Missa pro Sponso et Sponsa tempore feriato?*

R. De Missa pro Sponsis speciatim statuitur quod, tempore feriato, seu clauso, etiamsi data fuerit per Episcopum licentia Matrimonium contrahendi, numquam licet, neque Missam hanc Votivam dicere, neque Commemorationem pro sponsis ex hac Missa in Missa diei facere, neque solemnem Benedictionem nuptis ex hac Missa impertiri. Si sponsi tempore feriato Missam exposcant, Missa diei celebranda est, sine nuptiarum Benedictione, et sine nuptorum Commemoratione.

« Verum, ex Decreto Generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, dato die 31 Augusti 1881, Benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis conjugibus, qui eam quacumque ex causa non obtinuerint, Missaque pro Sponso et Sponsa simul celebranda, diebus præscriptis. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § VI.)

Tempus feriatum, quo scilicet prohibetæ sunt solemnitates nuptiarum, earumque Benedictio, currit a Dominica I Adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusive; et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis, etiam inclusive.

Q. 304. *Quibus diebus per annum, extra tempus clausum dici non potest Missa Votiva pro Sponso et Sponsa?*

R. Prohibetur hæc Missa Votiva extra tempus clausum:

286 (Q. 305) De Missa pro Sponso et Sponsa

- 1º in Dominicis omnibus ;
- 2º in Festis de præcepto in populo, et in omnibus Festis duplicibus 1 et 2 classis ;
- 3º infra Octavas privilegiatas Epiphaniæ, et Pentecostes, et in die Octava SS. Corporis Christi ;
- 4º in Vigilia Pentecostes ;
- 5º in iis Ecclesiis parochialibus in quibus una tantum Missa celebratur, prohibetur etiam hæc Missa Votiva in diebus Rogationum, si habeatur Processio, nam in tali casu Missa Rogationum in præcepto est ; necnon in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, 2 Novembbris, si decantatur Officium Defunctorum.

Q. 305. Quo ritu celebranda est Missa Votiva pro Sponso et Sponsa ?

R. Missa hæc, licet dici possit in diebus quibusdam, qui excludunt Missas Votivas privatas, ex. gr., in Festis duplicibus majoribus et minoribus, sequitur tamen ipsa in omnibus naturam Missæ Votivæ privatæ, etiam si celebraretur in cantu et cum solemni externo apparatu. (Cfr. QQ. 240 ad 253.)

In ea adhibetur color paramentorum albus, quia in sponsa benedicenda supponitur carnis integritas.

Omittitur *Gloria*. — Dicuntur tres saltem Orationes : prima videlicet Oratio Missæ Votivæ propria, secunda Officii diei, et tertia, si Commemoratio specialis non occurrat (cfr. Q. 73), illa quæ in Missa Officii semiduplicis secundo loco tamquam Commemoratio communis diceretur pro varietate temporis (cfr. Q. 81) ; quod si in Missa Officii diei duæ vel plures Commemorations speciales fuerint factæ, tunc in Missa pro Sponsis plures quam tres Orationes necessario deberent dici (cfr. Q. 247). — Omittitur semper *Symbolum*. — *Præfatio* semper dicitur communis, nisi propria alicujus Octavæ, vel de Tempore in Kalendario assignetur ; numquam vero dicitur *Præfatio* quæ propria foret Missæ Festi eodem die celebrati (cfr. Q. 251). — In fine dicitur : *Benedicamus Domino*, et *Evangelium S. Joannis* : *In principio*.

De Missa pro Sponso et Sponsa (Q. 306) 287

Q. 306. Per exempla explica quæ erit tertia Oratio, quando Votiva hæc celebratur in Festo duplice, quod per se unam tantum habet Orationem.

R. In responso ad Quæstionem præcedentem dicitur, tres saltem Orationes esse dicendas in Missa Votiva pro Sponso et Sponsa, et, casu quo Commemoratio specialis aliqua non sit facienda, tertiam Orationem eam dici, quæ, si Officium semiduplex hoc die occurret, in hujus Missa secundo loco indicaretur dicenda tamquam Commemoratio communis. Quod ut intelligatur, sint exempla sequentia.

1º Die 4 Octobris celebratur Festum duplex majus S. Francisci, Confessoris, in quo Missa Votiva pro Sponso et Sponsa potest celebrari ; hoc Festum occurrit eo anni ecclesiastici tempore, quod incipit ab Octava Pentecostes et ducitur usque ad Adventum, et quo, juxta Titulum IX Rubricarum generalium Missalis, in Festis semiduplicibus dicitur secundo loco Oratio *A cunctis* (cfr. Q. 81) ; si hoc die celebranda erit Missa Votiva pro Sponso et Sponsa, supponitur Festum S. Francisci esse semiduplex, et queritur, quænam Oratione, hoc supposito, in ejus Missa dicenda foret secundo loco, deficiente Commemoratione speciali ; ex citato Titulo IX Rubricarum notum fit dicendam esse Orationem *A cunctis* ; hæc igitur Oratio dicetur tertio loco in Missa Votiva, præmissis prima Oratione ipsius Missæ Votivæ, et secunda S. Francisci, quæ est Officii proprii hujus diei.

2º Supponitur quod Missa Votiva pro Sponsis sit dicenda die qua in nostra Diœcesi celebratur Festum B. Mariæ Virginis sub titulo Auxilium Christianorum, duplex majus.

A) Potest hoc Festum in die sua propria, 24 Maii, occurere tempore Paschali, ante Festum Ascensionis ; tempore Paschali vero in Festis semiduplicibus dicitur 2ª Oratio B. Mariæ V. *Concede*, 3ª *Ecclesia*, vel pro Papa (cfr. Q. 81). In supposita Missa Votiva pro Sponsis dicetur 2ª Oratio Festi occurrentis B. Mariæ V. ; tertia vero Oratio juxta regulam datam dicenda foret *Concede*, ejusdem B. Mariæ V. ; quod fieri nequit, ne bis de B. Maria V. dicatur Oratio (cfr. Q. 117). — Ideo aucto-